

JESU CHRISTI  
1094.

URBANI II. PAP.  
7.

HENRICI III. IMP. II.  
ALEXII COMN. IMP. I4.

interuenisse diuortium, & cum ista, quam ducere uultis, legitimum uos inire posse matrimonium. Si autem inuitatus fuisset ad hujus discussionem in eo loco, in quo cum Episcopis canonicas secure possem conferre sententias, ubi temerariam non timerem multitudinem; libentissime ad hoc uenirem, quod lex & iustitia diceret: cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cum facientibus facerem. Nunc uero, quia absolute uocor, ut \* Parisium cum uxore uestra ueniam, de qua nescio, utrum possit esse uxor; propter conscientiam meam, quam coram Deo conseruare debeo, & propter famam, quam Christi sacerdotem bonam habere oportet apud eos, qui foris sunt, malo cum mola asinaria in profundum mergi, quam per me mentibus infirmorum tamquam caco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem uestram, sed pro summa fidelitate dicere me arbitror, cum hoc & anime uestrae magnum credo fore detrimentum, & coronae regni uestri summum periculum. Memento, quia primum parentem, quem Dominus uniuersae uisibili creaturae praefecerat, mulier in paradiso seduxit, & ita uterque a paradiso exulauit.

\* al. Parisios.

XII.

Samson quoque fortissimus per mulierem seductus, fortitudinem amisit, qua hostes superare solebat, ab hostibus est superatus. Salomon sapientissimus propter mulierum concupiscentiam a Deo apostatauit, & ita sapientiam, qua praecellebat, amisit. Caveat ergo sublimitas uestra, ne in horum incidatis exemplum, & ita cum diminutione terreni regni amittatis aeternum. Consulite ergo Angelum magni consilii, ut accepto ab eo spiritu consilii, inhonesta & inutilia uitare, honesta & utilia in omnibus negotiis uestris ualeatis perficere. Valete.

XIII.

Ad Rhemensem uero Archiepiscopum, cujus esset nuptias benedicere, ista conscripsit (a) idem Ivo Apostolico spiritu roboratus:

(a) Ivo c. 13.

PAGIUS

bitasset. Addit Blondellus ex eodem Ordrico Regem desponsante Odone Bajocensi Episcopo Bertradam duxisse; sed de hoc capite Ordericus non bene edoctus fuit; huius enim culpa non Bajocensis, sed Siluanctensis Episcopus reus fuit, ut statim uidebimus. Hanc nostram opinionem de anno coniugii Bertrae cum Philippo Franciae Rege ualide confirmat Instrumentum recitatum a Mabillonio in fine Partis I. Sac. IV. Benedictini inter Monumenta Historica pag. 763. quod dicitur scriptum mense Maii ipso anno, quo Philippus Rex Francorum accepit uxorem Bertradam nomine, uxorem Fulconis Andegauensis Comitis, anno uidelicet ab Incarnatione Domini MXCII.

VI. Urbanus II. hoc diuortium reprobabat.

Haec extra controuersiam ponit Epistola Urbani II. ad Raynoldum Archiepiscopum Remensem, & suffraganeos ejus, data sexto Kalendas Nouembrii, anno uidelicet Dei Christi MXCII. ut in fine ejus legitur, recitata Tom. V. Eisdem Spicilegii, & ex eo Tom. X. Conc.

Rainaldo reuerendo Rhemorum Archiepiscopo, Ivo humilis Carnotensium Episcopus consolationis uisceribus abundare. Expertus quantum sit periculum Praelatorum, juxta quod in Psalmo legitur: (b) Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipsi uiderunt mirabilia in profundo: ascendunt usque ad caelos, descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat: turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. In quo per me minus sapio, uestro, ceterorumque consilio prudentium informari, uel confirmari desideo. Nuper enim cum a domino Rege fuisset inuitatus ad colloquium, quorundam maleuolorum meorum suggestione obnixi me rogauit, ut essem ei adiutor in celebrandis nuptiis, quas facere disponebat de \* Bertrada dicta conjugae Comitis Andegauensis.

Ivo monet Rhemenf. Archiepisc. (b) Psal. 106.

\* alii Bertrada. XIV.

Ad quod cum respondiissem, non ita oportere fieri, quoniam nondum esset causa definita inter eum & uxorem ejus; testatus est, pleniter definitam esse Apostolica auctoritate, & uestra, uestrorumque Coepiscoporum laudatione. Quo audito, respondi me haec ignorare, nec hujusmodi nuptiis uelle interesse, nisi uos earum essetis consecrator & auctor, & Coepiscopi uestri asertores & cooperatores; quoniam id competit juri Ecclesiae uestrae ex Apostolica auctoritate, & antiqua consuetudine. Quoniam igitur confido de religione uestra, nihil uos de re tam periculosa, & fama uestrae, & honestati totius regni tam perniciosa facturum, dicturumue, quod non auctoritate uel ratione nitatur; studiosissime, & deuotissime obsecro charitatem uestram, ut mihi fluctuanti ueritatem hujus rei quam scitis, aperiat, & sanum consilium, licet arduum & asperum, super hoc praebatis. Malo enim perpetuo officio & nomine Episcopi carere, quam pusillum regem,

pag. 463. in qua Pontifex, narrato & improposito Philippi cum Bertrada connubio, ait: Te autem, Charissime Confrater Raynolde, nexa haec maxime impetit. pro eo quod Siluanctensis subiectus tibi Episcopus hoc publici Adulterii crimen, suo, ut audiuimus, firmavit assensu, cum machis illis benedictionis Sacerdotalis manus imposuit. Quod etsi licite nuberent, bigamis tamen impendi secundum canones non liceret. Nunc igitur uobis Apostolica auctoritate praecipimus, ut his uisiti apicibus, quod etiam non iubentibus nobis jam dudum fecisse uestram prudentiam decussisset, mature conuenire curetis Regem, & ex Dei & nostra pariter & uestra parte instanter commoneatis, arguatis, obsecratis, increpetis, & a tanto, tamque horrendo facinore desistere compellatis. Quod si contempserit, & uobis & nobis necessitas imminet, ut ad ulciscendas diuinae legis iniurias pro nostri officii debito accingamur, & Phinees Gladio Madiianitas adulteros perferemus.

Ead-